WOLFGANGVS

DEI gratia sanctæ sedis Moguntinæ Archiepiscopus, sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius ac Princeps Elector ꝛc. Vniuersis et singulis ad quos hæ nostræ literæ peruenerint, Salutem in Domino sempiternam. Archiepiscopalis officij nobis iniuncti desuper promptitudo, mentem nostram incitat et inducit, vt ad ea nos conuertamus per quæ diuini cultus splendor, salus animarum, commoditas rerum Ecclesiasticarum et communis vtilitas augeatur. Fuit siquidem nobis pro parte nobis dilectorum Decani et Capituli collegiatæ Ecclesiæ St: Victoris extra muros ciuitatis nostræ Moguntinensis, nec non Prætoris Scabinorum et Senatus Communitatis in Villa Osterrich Rincauiæ humiliter expositum, Quod fructus, redditus & prouentus altaris in capella S. Nicolai extra Osterrich, versus Mittelheim ad collationem prædictorum Decani et Capituli pertinentis, similiter altaris in altera capella S. Nicolaj in eadem Villa Osterrich situati, in quo dicti Scultetus Scabini et Senatus ius habent patronatus, adeo sint tenues, vt ad sustentationem duorum Capellanorum minimè sufficiant, Ideoq; factum esse quod longo temporis spatio possessores dictorum altarium ibidem non resederint personaliter, neq; diuina prout ex fundationibus tenebantur, debito celebrarint modo, neq; Parochus in tam magna communitate vllam à Capellanis habere potuerit assistentiam, Proinde humiliter nobis supplicarunt, quatenus vtramq; capellam cum bonis, fructibus, redditibus et iuribus utriusq; ad inuicem vniremus et in perpetuum annecteremus pro unius Rectoris congrua sustentatione qui ibidem in Villa Osterrich personaliter residendo debitum diuini cultus persolueret officium, ac Plebano oportunam faceret assistentiam, tam in choro quam Sacramentorum administratione. Nos igitur attendentes petitionem huiusmodj esse iustam et rationi consonam, auctoritate nostra ordinaria, qua fungimur in hac parte, et quoq; ex speciali facultate in Tridentino Concilio desuper nobis concessa, prædicta duo altaria et capellas sub patrocinio S. Nicolaj Episcopi pro maiori cultus diuini conseruatione et propagatione ad-inuicem vnimus, annectimus et coniungimus per præsentes, Ita quod vnus eorundem altarium et capellarum deinceps in perpetuum sit Possessor et Rector qui in Sacerdotio constitutus personaliter ibidem residendo duas Missas per hebdomadam legat alternatim, Vnam in capella, altera in parochiali Ecclesia, nec non diebus Dominicis et festiuis choro intersit, cantando, et quando cunq; opus fuerit, Parocho in Sacramentorum administratione et animarum cura fideliter assistat eiusq; vices suppleat tanquam Capellanus. Cuius quidem sic uniti beneficij collatio, nominatio et prouisio quandocunq; vacare contigerit alternis uicibus fieri debeat, primo quidem per Decanum et Capitulum S. Victoris, altera vero uice per Schultetum, Scabinos et Senatum prædictos nominatio uel præsentatio idoneæ personæ cum præscitu tamen prædictorum Decani et Capituli fiat, et dirigatur ad archidiaconum loci pro more ante hanc unionem obseruato, in quibus tamen iuri nostro ordinario nihil derogatum esse uolumus. In quorum fidem et testimonium Secretum nostrum hisce literis appendi curauimus, Datum ex arce nostra sancti Martini in ciuitate nostra Moguntina Vigesima septima mensis Maij Anno Domini Millesimo Quin

Ex mandato eiusdem R.mi ac Ill.mi Domini Dni Wolfgangi Archiepi Mogunt: Principis Electoris ꝛc.

Philip: Wolf Re[illegible] Senpach [illegible] ꝛc:

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/4, Nr. 51

Diözesanarchiv Limburg (DAL)

Signatur: FA/4, Nr. 51